






MAJESTAS
Virtutis, & Sapientiæ,
in auspicato accessu
Magni ARCHIDIACONATUS Honoris
Amplissimo Magnorum, in Ecclesia DEI,
Patria, & Literis, Meritorum splendore,
Perillustris, & Reverendissimi Domini,

D. REMIGII SUSZYCKI,

Juris Utriusq; Doctoris,
Ecclesiarum, Cathedralis Cracoviensis
ARCHIDIACONI,
Collegiatarum, Lanciciensis Scholastici,
Kielcensis Custodis, S.R.M. Secretarij,
Ad felicissima sui Honoris auspicia,
Installationisq; die 2. Junij peracta solennia
ADORNATA,
Et
Prænuntiâ immortalis Famæ tubâ,
post datam REGNO POLONIÆ notitiam,
intra PRUSSIÆ SILESIÆq; Provincias,
PROMULGATA.
Tantum splendoris apparatum,
tenuibus, Clientalis officij, connotante modis,

M. MICHAELE BELLINA
Philosophiæ in Alma Universitate Cracoviensi
Doctore, & Professore.

Anno 1703. Die XXIIII. Julij.

GLOGOVIÆ MAJORIS.
Typis Joannis Julii Hunoldt

Altum quiddam sunt virtutes, excelsum, & Regale. *Ex Sen. lib. de vita beata.*

Is honor mihi videri solet, qui non propter spem futuri beneficij, sed propter magna merita, claris Viris defertur, & datur. *Cic. ad Plan. lib. 10. Epis. 10.*

Natura nil habet præstantius, nihil quod magis deputet, quàm laudem, quàm dignitatem, quàm decus. *Idem. 2 Tus.*


Virtus fortunare solet. Salust.

Fama volat magnum subitò vulgata per orbem. *Ovid.*

Scribendũ, quod sit aut voluptati legere, aut cultui legisse, aut usui meminisse. *Gell.*

Habenda est ratio hominum, rei, & temporis. *Cic.*

IN STEMMA
Perillustris, & Reverendissimi
DOMINI.



Ingradibus binis, celsum cur versus Olympum
Floris SVSZICII stirps sua fixa viret?
Constat, non vano mundi suffragio Honores
PRÆLATUM tantos obtinuisse suos.
Ac cujus? celsi geminarum munere cœli
Divarũ, decorat nunc quibus ecce Thronũ.
Usu ast insolito plantata est? Dotibus almis,
Non etiam solitum spargit in orbe decus.

Is mihi videtur amplissimus, qui sua virtute in altiorem locum pervenit. *Cic.* Cesa petit virtus addit sapientia vires. *Mas.*

Ad

AD
PERILLUSTREM,
&
REVERENDISSIMUM
DOMINUM,

ODE DEDICATORIA.

Non quos, feroci mentis acumine
Gradivus orbi conserit offero
PRÆLATE, rumores, Tibi nunc,
Delicium Populi sacrati,

Illosq; chartis reijcio meis,
Quos fœda proles Tisiphone Stygis
Discordia, atroci tumultu
Nunc populo cumulat protervo;

Nihil tam capax malignitatis, sermonumq;, quàm bellum. *Quin.*

Discordia ordinum venenum urbis. *Liv.*

Fa-

Vera gloria radices agit, atq; etiam propagatur *Cic.*

Famæ ſed iſtos quos Meriti decor
Modò, paratus, multiplicat Tui,
Exotici orbis per triones
Sarmaticum recreando Solem,

Quæ melior in genere hominum natura? quàm eorum, qui ſe natos ad homines iuvandos, tuendos, conſervandos arbitrantur. *Idem.*

PATRONE, paſſu, Maxima Pars meæ
Sortis, citato nuntius, in Tuum,
Mei voluntas, gratiarum
Fert gremium, officioſa cordis.

Hinc ſpero gratas inveniet manus,
Auresq; ſcriptis: nil etenim magis
Cûiquam refertur famâ honoris
Gratius, orbe ſuper, vigente.

Nihil vera gloria dulcius. *Idem.*

Quandoq; bonus dormitat Homerus. *Horatius.* Ex Cic. Orat. ad Brut.

Si porro plectris artis opus leve
Ineſt, remittes: ſcimus enim velut
Eſt res in annis, ſic in arte
Ardua, quid deceat videre.

Suus cuiq; attributus eſt error. *Catul.*

Concludo paucis: ingenium procax
Peccavit in Te, quidquid arundine,
Servum rependens me perennem
Scribe Tuo ſubigaſq; Honori.

Hoc voveo, & opto mihi
PERILLUSTRIS ET REVERENDISSIMÆ
DOMINATIONIS

Humilis Servus, idem qui ſupra.

MAIESTAS
Virtutis, & Sapientiæ, ADORNATA.

Virtutis, Divæq; datum Sapientia nomen
Quæ tenet, augustum Solium, sublimis Honoris
Ornatum, splendore sacro; Famæq; paratus
Tantæ solennes pompæ, narrantis in omnes
Sarmaticos, resonante tuba, externosq; triones
Plectra canunt. Celsi Decus, & PRÆLATE Vavelli,
Gemma Coronarum pulchro fulgore renidens
Ternarum Sponsæ Craciæ, totius & amplæ
Alma Diæcesis, sacri Cleriq; voluptas,
Tu placida cum mente velis audire relata
Vocis inornatæ adpræsens, tenuisq; cothurni
Ad numeros nimiùm, præconia vera Tuarum
Virtutum, fastos semper celebranda per omnes.
Lassus, Hyperboreas quo tempore spernere portas
Cæperat, adductis lustrabat signa Leonis
Phœbus equis, tardi permensus brachia Cancri.
Tunc loca Silesiæ terris vicina Polonis
Contigeram: rapido voluit quà se Odera fluctu
Undarum: & celso quà surgens vertice turris
Urbis Glogoviæ laus spectat lata patentûm
Æquora camporum, caput inter nubila condens.
Qui status, & mores hominum? primaria nôsse
Cura fuit: deerat nil quo satiare valeret
Mens cognata Polo studium; sed semper acerba
Regni fata mei partes tenuêre priores,
In meditanti animo, pectus findendo dolore.
Quòd Juga Sarmatiæ longo cumulata recessu
Terrarum, fatis crudelè frementibus usque
Prô dolor! adpræsens rebus spolientur opimis,

Egregia virtutum decora, pulchriùs in magnis eminent ingenijs. *Th.*
Magnas it Fama per urbes. *Virg.*

Carmina quam tribuent, Fama perennis erit. *Ovid.*

Nil est laudabilius, nil magno, & præclaro Viro dignius placabilitate, & clementiâ. *Cic.*

Circumstantia, temporis et loci.

Nemo est quin ubivis, quàm ibi, ubi est, esse malit. *Cic.*

Multa experiendo fiunt, quæ segnibus ardua videntur. *Tac.*

Quocunq; in loco quisq; est, idem est ei sensus, & eadem acerbitas, ex interitu rerum publicarũ, & suarũ. *Cic.*

Turbine magno ſpes ſolicitæ Urbibus errant trepidiq; metus. Sen.

Nilq; patens videat, clarum quod ferre ſerenum
Lætitiæ pulchræq; ſpei, ſub ſole Polonus
Orbis nunc poſſet propriò ; verùm immo doloris

Ea eſt perturbatio omnium rerum, ut ſuæ quemq; fortunæ maximè pæniteat. Cic.

Cuncta ſepulta iacent craſſi ſub nubibus atris;
Ut damnoſa pati toto faſtidia voto
Pellantur, proprium non tanquam habitura tenorem.
Hinc actus queruli ſum tempeſtate doloris,

Frangit fortia corda dolor. Tib.

Vix aliquod preſſo manſit ſub pectore robur.
Qualiter Oſleæ ſublimi montis in ora
Quercum dum Boreæ nunc huc, nunc flatibus illuc,

Sæpius ventis agitatur ingens pinus. Hor.

Eruere inter ſe certant: it ſtridor, & imam
Flectitur ad terram, proprio cum vertice, ut vix
Conſervet radix flexi firmamina trunci.
Ergò trahens imi ſuſpiria cordis amœnam

Quemadmodum artifices ex alicujus rei ſubtilioris intentione quæ oculos defatigat, ſi malignum; & non præclarum lumẽ habent, in publicum prodeunt & in aliqua regione ad populi otium dedjcata, oculos libera luce delectant: ſic animus in hoc triſti, & obſcuro domicilio clauſus, quoties poteſt apertum petit, & in rerum natura contemplatione quieſcit. Sen.

Campi planitiem, nullo comitatus Achate,
Ipſe peto, ærumnas has diſcuſſurus acerbas.
Et jam paſco oculos: mentis diſſolvitur æſtus
Triſtitiâ fervens: Cereris ſua munera flavæ
Delectant animum: ſuavi per prata ſuſurro
Aures ludit avis: tellus induta venuſto
Gramine pandit iter cupidum, ac accendit euntem.
Progredior: qualem Chloris pulcherrima vellet
Invenjoq; locum: locus eſt nam ſola voluptas.
Herbida gramineum procul arcuat area montem
Arboreis denſum ramis, & mitibus umbris.
Hîc penes & dulcis fons puram argenteus undam
Perpetuo numerat rythmo, circumq; ferarum
Cernuntur ſaltus lepidi, volucrumq; volatus.
Illinc dum tacitis ſolus ſeceſſibus erro,
Ecce mihi ſexûs cœtu comitante noveno

Inſperata accidunt magis ſæpe, quàm quæ ſperes. Plau.

Virginei ſe aliquis non antea cognitus offert.
Os humerosq; Deo ſimilis, nec diſcolor atq;
Cætera turba ſacris priſca de ætate Deabus.
Cunctis ſerta comas cingunt, fluitanſq; per armos
Thalmis adeſt Tyrij grati ſplendoris: eburnam

Gem-

Gemmea dextra lyram Primi, Comitesq; negotî
Signa ſui monſtrant: omnes lux magna præibat
Atq; ſequebatur radios imitata polares.
Attonitus ſtupui, gelidusq; per ima cucurrit
Oſſa tremor; ſed mox propior veſtigia torquens
Ductor, quem dederat placido detraxit eundem
Ore metum: pavidus pariter cum mente colorem
Quare ait amittis? nos non monſtroſa timoris
Spectra ſumus, cunctis verùm bona Numina terris.
Si genus exquiris? Soboles generoſa Tonantis
Noſcimur: & ſacros ſi poſcas thure Penates?
Hos mihi Delphorum ſacrato Numine felix
Terra meo tribuit: cenſu nunc munera nobis
Omnibus unanimi Aonias libantur ad aras.
Sed quæ eſt & virtus, & cum virtute poteſtas
Fortè cupis noſtrûm? vatum, fandiq; potentûm
Præſumus ingenijs: nec tu ſine Numine noſtro
Auſus eras quidquam, quando Divina Pòëſis
Te Doctore ſuo Lubranſcî clara Lyceis
Gaudebat: curſus urbs quà Poſnania flexos
Spectat labentis grato cum murmure Vartæ.
Jamq; reor præſtanti audito nomine Phœbi
Quis ſit, & unde Chorus, quem ſpectas obvius iſte
Non quæres: qui me novit, cognoſcit & illum.
Ille hæc: depoſita tandem formidine quando
Verba referre paro, ſubitis concentibus æther
Inſonuit, dederatq; novos in mente ſtupores.
Hinc ubi Sarmaticis monſtratur tractus ab oris.
Mittimus in cœlos viſum, cauſasq; latentes
Luſtramus: propero Famam per inane volatu
Tranantem legimus: paſſæ per brachia pennæ
Lucem ſideream fundunt: dat murice tincta
Palla ſinus: lauri dextro comprênſa lacerto
Pulchrè palma viret, recubat lituusq; ſiniſtro.
Nec mora: ſtellanti nos poſtquam frontis ocello

Neminem oportet artem pudere proloqui, quam factitat. Cic.

Vires ſubtrahit ipſe timor. Ovid.

Plus in metuendo eſt mali, quàm in eo ipſo, quod timetur. Cic.

Muſæ Olympiades compti Jovis ægide natæ Heſio.

Delphica fatidici penetralia Phœbi. Luc.

Major, & utilior facto conjuncta potenti Vile latens virtus. Luc.

Cùm non ſit à fortuna, nec ab arte Pòëſis, à Muſis, & à Deo tribuitur. Plato.

Omnis quæſtio habeat epilogium ſuum. Sen.

Naturale eſt magis nova, quàm magna mirari. Idem.

Fama-quo non aliud velocius ullum,-ſeſe tollit in auras,-pernicibus alis. Virg.

Viderit, obtutus, poſitis per brachia pennis
Ante ſtetit noſtros. Divus quæ gaudia Cætus
Non fecit! lætis pars promptè colla lacertis
Captabat: niveis pars & dilecta labellis
Oſcula libabat: manibus pars pectore læto
Porrexêre manus: venerando Phœbus at ore
Subridens brevibus ſic verbis ora reſolvit:
Hoſpes gratus ades rerum prænuntia nobis
Fama: tuus felix adventus nunc precor adſit.
Quæ fers (namq; tui id nos ſcimus muneris eſſe)
Applaudens communi facta latentia luci
Sarmatiæ? rigidi vel clauſit limina Jani
Pax? vel Mars rabidus (prohibete Dij) furit usq;?
Tum ſic Fama refert. Pacem regnante Gradivo
Non fero: continuat diſcordia multa malorum.
Sed brevibus ſpatiis faciet Deus his quoq; finem.
Fauſta per extenſos adpræſens voce triones
Nuntio terrarum, veſtro celebranda cothurno,
Et plauſu. Vaſti nam terris lumina mundi
Nec dudum ſacra, Divinæ Sapientia mentis
Portio, fatorum domitrix venerandaq; Virtus,
Ornatum ſplendore ſuum, quo fata nefanda
Parcarum orbârunt Solium, ſublimis Honoris
SVSZICII, meritis ſatis ardua munia dextris
ARCHIDIACONI ſumentis, dantibus almum
Divis auſpicium, retinent, gaudentq; beatæ.
Urbis quà Craciæ diruta mole Vavellus
Infandum! turres, excelſa & pergama ſpectat.

Dixit: Mæonidum feſtivo pectore Cætus
Lætitiæ dare ſigna novos & tollere plauſus
Cæperat, Aonium properè plectrumq; probare,
Et pulſare fides, liquidas tum gutture voces
Jam reſonare ſacro; primas ſed præſes Apollo
Aggreſſus ſermone vias, & talia fatus:
Quomodo Pæoniis doctus Podalirius herbis

Cunctarum novitas gratiſſima rerum. *Ovid.*

Longa mora eſt omnis quæ gaudia differt. *Ovid.*

Credo tibi verum dicere Fama ſoles. *Mar.*

Nulla ſalus bello pacem te poſcimus omnes. *Virg.*

Minimas rerum diſcordia turbat. *Luc.*

Eſt modus in rebus, ſunt certi deniq; fines. *Hor.*

Virtutibus debetur laus. Ex *Ariſt.*

Heu durus fati tenor eſt nequod illi. Non liceat! *Statiq*

Nemo eodem tempore aſſequi poteſt magnam famam & quietem magnã. *Tac.*

Subito caſu, quæ valuere ruunt. *Ovid.*

Suſpenſam blanda viciſſim gaudia pertentant mentem. *Virg.*

Cor-

Corpore ab ægroto properantia fata repellit:
Taliter ærumnas à nostro pectore sævas,
Quas pro Sarmaticis, misera cum sorte, diebus,
Nos gerimus, tu Fama fugas, rumore per omne
Optato tempus præsenti; & tectus aquosis
Nubibus ùt Titan victis è nubibus exit:
Sic etiam ingenti spoliatur nostra dolore
Jam mens ipsa vides; verùm majore paratu
Illam lætitiæ donabis, si ordine totos
Longiùs evolves, solito pro munere nobis
Annales, tanti, nunc quo Augustale refulget
Divarum, quæ prima fuit, splendoris origo?
Et quod magnanimi tandem moliminis illam
Continuavit opus: cupida de mente Senatum
Ardor habet nostrum præbendi vocibus aures
Fama tuis. Niveis mox composuêre maniplis
Artis ebur, plectris spretisq; sonantibus, atq;
Conticuêre omnes intentæq; ora tenebant
Aonides: quarum Dux approbat ipse silentîum.
Tum sic Fama suo sermone silentia rupit.
Haud ignota jubes, totum, sed nota, per orbem,
Phœbe Tibi memorare, meis nunc vocibus; at si
Tantus amor vestrûm auscultandi Nominis almi
SVSZICII vastis; verùm compendia ducens
Evolvam: magnum nam poscunt magna paratum.
Fontem, qualis adest, primum splendoris Aviti
SUSZICII (moris quamvis jam pluribus adsit
Inde suum studio venari rite decorem
Nominis, unde genus, primiq; à stirpe Quirites
Illustres virtute sua; totusq; canatur
Laudis honos, prisco clarisq; Parentibus orto
Sangvine censeri, pictosq; ostendere vultus
Majòrum, & stantes in curribus Æmilianos)
Nunc ego prætereo, penitusq; repandere nolo.
Nam quid imaginibus quid Avitis fulta triumphis

Omnes humanos sanat medicina dolores. *Prop.*

Nil adeo fortuna gravis miserabile fecit, Vt minuant nulla gandia parte malum. *Ovid.*

Hominis mens videndi, & audiendi delectatione ducitur, *Cic.*

Principijs cognitis, extrema faciliùs intelliguntur. *Idem.*

Eximia est virtus præstare silentia rebus. *Ovid.*

Insitum est hominjbus magna, & insveta noscendi. *Plin.*

Genus, & Proavos, & quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra voco. *Ovid.*

Miserum est aliorum incumbere famæ. *Juven.*

Idem Satyr. 8.

Atria

Nobilitas ſola eſt, atq; unica virtus- *Juven.*

Atria quid pleni numeroſo conſule faſti
Profuerint? ſi vita labat: perit omnis in illo
Gentis honos; cujus laus eſt in origine ſola.

Famam extendere factis, Hoc virtutis opus. *Virg.*

Ex ortu ſolis ſtatum cæli notare gubernatores ſolent. *Liv.*

Ornamenta Viri dignos producta per actus
Sola animus meminiſſe cupit, ſtudiumq; peroptat.
Primùm ergò teneræ perluſtro tempora vitæ,
Præſago magni decoris fulgentia ſudo.
Quanquam nec dubia (vos conſcia Numina teſtor)
Mente ſtatim penetrare datur, jam qualis ab ortu
Vita fuit primo, tantam rutilante per augem

Solida operis moles, primorum fundamentorum bonitatem manifeſtat. *Tac.*

SVSZICIA virtute modò: ut dum cernitur orbe
Titan aſtrifero mediam complêſſe ſerena
Luce diem, cœli quod conſignavit Eoi
Clarum temperies ſudum ipſi: inducere fas eſt.
Sed tamen adpræſens minimè memorando gravabor,

Voluntatem in omnibus rebus ſpectare convenit. *Cic.*

Si tu Phœbe velis: et cùm te velle fateris
Percurram. Poſtquam vitales luminis auras
Hauſit SVSZICIVS, fertur demiſſa ſupremo

Et teneræ nimis mentes aſperioribus formandæ ſtudijs. *Hor.*

Diûum concilio Pallas plaudente benigna
Suſcepiſſe manu infantem, ſenſimq; tenella
Mebra exercitijs, animumq; aptâſſe ſacratis.

Inprimis venerare DEOS. *Virgilius.*

Illa Poli cultum infudit, ſummiq; timorem
Numinis, Auguſta tum Virginitate Parentis
Illa DEI, Divûmq; ſacrum inſpiravit amorem.

Ut aliquis libenter educationis tædiũ, laboremq; ſuſcipiat, exquiſitis exhortationibus implorandum eſt. *Plin.*

Et ſimul annorum major dum creſceret uſus,
Mentem inflammabat monitis. Manſurus in ævum
Quomodo ſplendor adeſt quibus & ſit gloria curis
Merces: diſce Puer cordisq; inſcribe medullis.

In voluptatis regno non poteſt, virtꝰ cõſiſtere. *C.*

Non Tibi deſidiæ nutrix hoſtisq; voluptas
Virtutis placeat: mundum verſantis iniquè

Sœpe ſolent auro multa ſubeſſe mala. *Tib.*

Sperne facultates magnas, & munera ſperne
Fortunæ: ſobolem laudem virtutis amæno

Non juvat ex facili lecta corona jugo *Prop.*

Sæpe colas vultu: verum nomenq; decuſq;
Collegiſſe datur, curis duroq; labore.

Tali-

Taliter indoctum Pallas virtutis amore
Formabat, monitis Tyronem. Protinus omnes
Ille suo docili condit sub pectore curas,
Observare vias recti, ratione domare
Mox satagit mentem teneram, sumitq; modestos
Ore verecundo mores: mox vibrat in omne
Arma scelus fædum, cœlesti Marte calentis
Cordis: mox socias statuit coniungere vires
Omnis honestatis, temnendas tempore nullo.
Viderat hæc Pallas, studio cumulata tenello
SVSZICIÆ, firmis vix perpatranda lacertis,
Mentis præsidia: extemplò celebrata triumphis
Castra sequi contenta suo sub Numine svasit.
Est, ubi flaventes celer Istula volvit arenas
Urbs antiqua suum retinens Cracovia nomen
Clara Viris: hostis quamvis populata furore
Sit vicibus binis, rerum laudata paratu.
Quin etiam sacris Patrum cæliq; Quiritûm
Relliquijs similis Romæ est: ea fama vagatur.
Adde, quòd & regni Gazas, Insignia Regum,
Sola fide stabili felix servare meretur.
Hac Pallas Regis Jagelonis divite vena
Suffragante sibi, jam messibus alma trecentis
Atq; tribus, pulchro super ordine Castra locata
Conservat, teneram Lechiæ exercetq; Juventam.
Nec non SVSZICIUM, semper majoribus, ac his
Aptum exercitijs Tyronem, sidere fausto
Inservit Castris, dederat laurusq; mereri.
O quibus ille modis studij, promptiq; laboris
Commissum prensabat opus! quantâq; perosus
Desidiam curâ peragebat munia sumpta,
Impatiens tolerare moras! quàm fortis in hostes
Prodijt Hic acres mentis, vicitq; secundus.
Quidquid telorum nisu ignorantia sævo
Opposuit, somniq; parens ignavia quidquid,

Præclaram indolem imitationis ardor, semperq; melior aliquis accendit. *Plinius.*

Motes primùm, mox sapientiam disce, quæ sine moribus malè discitur. *Sen.*

Plurimùm proderit pueros statim salubriter institui. *Idem.*

Certandum est, nulli veniunt sine Marte triumphi. *Man.*

Urbium ornamenta sunt, sapientes viri, & magistratus. *Isoc.*

Fac fidelis sis fideli, cave fluxam fidem agas. *Plau.*

Hic non divitias nigrantibus abdidit antris, Nec tenebris damnavit opes. *Clau.*

Virtutis, quàm ætatis cursus celerior. *Cic.*

Diligentia maximum etiam medjocris ingenij subsidium. *Sen.*

Pacem cum hominibus habebis, cum vitijs bellum. *Idem.*

Palladia dexter ſemper ſub caſſide vicit.

Non annorum ſpatium, ſed ingenium, & diligentia in cauſa ſit, ut alios alij prudentiâ ſuperemus. Iſoc.

Illum non teneræ per dura negotia vires
Ducendæ, Herculei ſeries non magna laboris
Detinuit, belli non vis labentibus annis
Deſiſtens unquam, adverſùs tam ſæpe rebelles
Hoſtium & immanes auſus rationis: aperta

Nuſquam nec opera ſine emolumento, nec emulumentum ſine impenſa opera eſt. Liv.

Omnia conando docilis ſolertia vicit. Manilius.

Virtus nam ingenio forti gaudebat ineſſe.
Hinc quantæ laudis ſpolium, quantaq; ſupellex
Artis Palladiæ ceſſit, pro munere noſtro
Heroi! proprio non ore repandere poſſum.
Ille brevi didicit Latij, ut ſub lege venuſta
Sermonis campis exercitus iret apertis
Sit ſi opus: innumeras tum vocum rite phalanges
Quomodo refrenare datur? celerine rotatu

Nihil eſt præſtabilius, quàm poſſe dicendo tenere hominum cætus, mentes allicere, voluntates impellere, quo velis, unde velis, deducere. Cicero.

Oris? an in lenta lingvæ ſint voce regendæ?
Qualiter atq; ſago tardos animare lacertos,
Atq; toga dubijs fato præſtare fidele
Conſilium rebus: curarum mole gravatis
Alleviare animum: motus mulcere minaces
In populo, curſuſq; mali cohibere citatos.
Ille rudimentis docti & ſtratagemmata Martis

Nihil humanæ menti veritatis luce dulcius. Idem.

Ingenio noviſſe ſuo, non tempore longo
Edidicit, veriq; vias penetrare latentes.
Tanta mei fuerat (quod mens non ipſa negaret
Ingenioſa Deæ) primis conflictibus audens
SVSZICII virtus, dextro ſub pectore regnans.
Quid memorem ſtudium intenſum? quid facta togatæ

Invia virtuti nulla eſt via. Ovidius.

Prælia militiæ, ſophico cumulata paratu?
Obſtitit an forti quidquam? non: clara Stagyrêus
Euripus dextræ mentis monumenta reponit.
Non tua ſacra etiam Thoma Divine Fluenta
SVSZICIUM ignorant docto cum munere Martem.

Si omnia vis ſubijcere tibi, te ſubijce rationi. Sen.

Subdidit Hic regno mentis conamine cuncta
Jura Ægyptiaci Ptolomæi in ſidera habentis.
In ſpolium venêre ſuum, Galenus, & ille

Hippocrates tenuit quidquid, munimine fretus
Artis Apollineæ: ætatis monumenta vetustæ
Ingenij, vigili quæ collegêre labore
Herôës, junxit, mentemq: evexit ad astra
Dignam, quam Pallas gemino diademate lauri
Cinxit ovans, Procerum Tectis dederatq; Togatis
Congaudere sûum, magnis cum plausibus ultro.
Ergò jam fessos dulci recreare quiete,
Hîc, post Palladij tot grandia fulmina belli
Artus SVSZICIUM, post victricesq; coronas
Obtentas capiti, censetis Numina sacra?
Nequaquam. Fateor multos sub sole rotundum
Perlustrante solum degi, quêis præmia gignunt
Desidiam actutum, superatis palma triumphi,
Hostibus, Herculeas ponit neglecta columnas.
Illi post tanta audistis quæ munera magna
Major erat virtus; nec non post multa trophæa
Plura statim cupijt docta certamina mente
Oppugnare, plagis ac ipsis nota remotis.
Scit bene Romuleis decurrens Albula campis,
Teq; rigans nitidis copiosè Francia lymphis
Sesquana: promeritis applaudens ille corymbis
Sub signis Astræa tuis: hic svavè fluentem
Ore sonum, externæ vario certamine lingvæ,
Admirans, virtutis opes, & docta beatum
Munera mentis opus, multo variata labore.
Miratur gaudetq; stupens, sua munera campis
Vistula, Sarmaticis, præbens, Sapientia quantùm
SVSZICIO comprênsa animo valeat, modò quando
Spectat Sarmatici prægrandia Fulcra Senatus
Purpureos Patres, teneros quos ille per annos
Artes edocuit, sacrum & virtutis amorem.
Miratur Latiæ dum cernit flumina lingvæ,
Partim magnorum in laudes effusa Virorum,
Partim sacratis semper laudata Cathedris,

Historiarum lectio utile ad Rempublicam, & consilia, actionesq; dirigendas instrumentum. *Lip.*

Tempestivus honori, qui jam virtuti maturus est. *Valerius Maximus.*

Sæpe quos labor roboraverat, desidia consumpsit. *Seneca.*

Hoc à te exige ut qualem institueris præstare te, talem usq; ad exitum serves. *Idem.*

Veris magna paratur Fama bonis. *Luc.*

Justus, ac honestus labor honoribus, præmijs, ac splendore decoratur. *Cic.*

Sapientiâ nihil est optabilius, nihil præstantius, nihil homine dignius. *Cic.*

Refer ad rectam Reipub. institutionem pueros bene institutos. *Arist.*

Beatos puto quibus Deorû munere datum est,

Aut facere ſcribenda, aut ſcribere legenda, beatiſſimos verò quibus utrūq;. *Plin.*

Difficillimū eſſe facta excellēti magnitudine & pulchritudine laudando æquare *Iſoc.*

Partim per Sveticum tentatum Marte nefando
Obſidionis opus, quà Woynicenſis ad urbis
Et Sandecenſis perſtat munimina campus,
Hiſtorico ſpatiata vado. Sed docta fluenti
Pierij ſummo potata è gurgite, pleno
Ore ſcaturigo illius, à quo laudibus æquis
Extolli poterit? vel quis mirabitur illam
Condignè ſaltem? Veſtris quid magna cothurnis,
Præmia laudis opus, per doctum adſcribitis orbem,
Magna Poëtarum magni ornamenta Marones?
An quòd Trojugenûm ſua poſt temeraria damna
Scribitis errores? vanum aut levitatis amorem
Igne Cupidineo flammantem? vel qvòd acerbos
Tantalidis fletus, canitis, fictosq; dolores?
Erratis. Genium ſimul & per digna probatur
Argumenta labor. Talem ſpectare volentes
Cernite SVSZICIO deducta Pöëmata verſu,
Illi materiem, quàm textu paſsio Chriſti
Culti conceptus dederat modulamine ſvavi
Cantus in varios ducti: conſtabit apertè.
Non moror in multis. Nam ac hæc nunc Dive Senatus,
Nota locuta fui: quaſi ſi Titana probâſſem
In media luxiſſe die. Nam cuncta ſoletis
Notitiâ penetrare bonâ, quæcunq; togatis
Palladis in Caſtris fiant, & qualia magni
Ingenij Heröés celebrant cum laude trophæa.
Nunc jam rara canam. Longo ſermone probare
Non opus eſt vobis, varijs quàm ſæpe periclis
In grave naufragium cum tempeſtate ferantur,
Aulis Magnatum qui incauta mente morantur.
Sicut enim vaſtum ſi mens eſt cernere regnum
Neptuni, tumidis occurrit fluctibus atra
Nunc rabies, placidi nunc ſpirans aura ſilentî,
Naufragij caſus nunc vela trahentibus atri:

Exit in immenſū facunda licentia vatum,
Obligat hiſtorica nec ſua verba fide. *Ovid.*

Quos in eruditorum numero habeo? primùm eos, qui plerūq; id diligere poſſunt, quod utiliſſimum eſt. *Iſoc.*

Id quod certò ſcimus, aliter ſe habere non poteſt. *Boet.*

Brevis eſt magni fortunâ favoris. *Sil.*

Nihil tam capax fortuitorum, quàm mare. *Tac.*

In navigatione minimùm

Sic

Sic etiam magnis Procerum ſpectamus in aulis.
Nam poſt jucundos Zephyros placidosq; favoris,
Ingrati veniunt Aquilones ſæpe furoris.
Multi & ſecurè probitati vela tenenti
Invenêre ſuæ ſcyllas, turpesq; charybdes.
Non hæc SVSZICIO, variantia fata fuêre
Permultos, noſtro: fauſtis conſtantia ventis
Eius vela dabat, vitij temnendo procellas.
Quantus & Auguſto Muſarum gloria ſumma
Mecænas fuerat, Trojano quantus & alter
Plinius, ille quoq; OLSZOVIO, cuj prima Senatus,
Gneſnenſis dederat ſacra Sponſa, gubernia Regno,
Atq; MALACHOVIO Cracij quem Templa Vavelli
Pontificem novère ſuum, Patriæq; Parentem.,
Talis erat. Sed parva loquor. Regalibus Ejus
Arriſêre thronis dotes. Tbi Magne JOANNES
Gloria Sarmaticæ Gentis, Nomenq; Decusq;
Regum, quàm fuerint gratæ, componimus inde,
Quòd præter paribus commiſſa negotia curis
Publica magna Ejus, Sobolem quoq; Sangvinis almam
Regalemq; ſui, ſtudijs concrederis ultro
Formandam, Solij jam nunc & honoribus aptam.
Sed jam Virtutum rapior ſplendoribus altis
Narrandis, Lechico pulchrè fulgentibus orbi.
Te primam veneror ſacra quœ veneraris amanter
Numina, delicium ſummum, & pars maxima ſemper
Cordis SVSZICII pietas. Tu luce coruſcans
Lampas inardentis mihi jam ſpectaris amoris
In Superos, pulchro quæ illuſtratura ſereno
Virtutis Solium ſacratæ, parva diei
Intervalla putans, devoti pectoris, umbras
Fundis, in obſcuræ, largè ſua lumina, noctis.
Tu clypeus cœli circum conſtructus ab arte
Hoſtium in infenſos, animæ qui proruis auſus:
Et das SVSZICIO fauſtos celebrare triumphos.

à morte vita dividitur. *Sen.* Omnis inſtabilis & incerta felicitas eſt. *Idem.*

Virtus altiſſimis defixa radicibus, nunquam ulla vi labefactari poteſt, nunquam dimoveri loco. *Cic.*

Principibus placuiſſe viris non ultima laus eſt. *Ovid.*

Habet venerationem juſtam quidquid excellit. *Cic.*

Nullum munus Reipub. majus meliuſue afferre poſſumus, quàm ſi erudiamus juventutem. *Cic.*

Pietatis tituli ſunt, omnibus honoribus pulchriores. *Plin.*

Nulla uis major vera pietate fuit. *Sen.*

Sed

Sed neq; ſolennes minuit mens inclyta pompas
Juſtitiæ, obſcurat Meriti nec candida lucem.
Immo (crede mihi Muſarum Præſes Apollo)
Illa quòd accumulet Lechici per climata mundi
Tot radios laudis, Cracio quot Phœbus in orbe
Lumina diffundit: magni tot nominis Ejus
Annumeret laudes, præclara encomia perſtent
Ora quot & lingvæ, Cracio ſub ſole, manentis
Cleri. Conſcendit Sacrati quando Tribunal
Officij, tantùm laudis dignæ ille meretur.
Non laudo, memoro nec largæ munera dextræ
Ac mentis miſerantis opus. nam hoc ſemper ad acres
Irorum, cœlos penetrantes viribus altos,
Rite preces, proprijs laudatur; porro nec illa
Labentur memoris tandem de pectore ſecli.
Stabunt, fulgebunt copioſæ laudis in auge,
Dum ſtabunt Diûum ſplendentia Tecta beata
Luce, per extenſos ſpatioſi temporis auctus.
Plurima prœtereo: magnos non tangere ſumptus
Non poſſum, Divo Ejus quales dextra JOANNI
CANTIO ad ingentes impendit prodiga curas.
Tantis (Phœbe tibi ſocio vallate Senatu
Quos minima nec parte modò narrare valebam)
Virtus nunc Majeſtatem & Sapientia Diva
SVSZICIJ comptè ornatam Splendoribus altis,
Poſſediſſe ſuo, poſt invida fata, paratu
Gaudet, in acceſſu fauſto, ſublimis Honoris
ARCHIDIACONI, ſacræ cum numine Romæ.
Dixit: & in vacuam pernices ſuſtulit auram
Alas, & geminans ſonuit ſuper æthera Vivat!
Extemplò atq; novo teſtari gaudia plauſu,
Fatidicas pulſando fides ſacra Numina Pindi
Cæpére, & plectro repetendo vota ſonoro
Senſim ſublimes petierunt ætheris oras.
Ac ego tam ſvavi perfuſus pectora plauſu,
Vivat Mecænas felix ſua ſecula! dixi.

Fundamentum perpetuæ commendationis eſt juſtitia, ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile. *Cic.*

Tum ſolùm pretioſa eſt pecunia, quando uſu largiendi deſinit poſſideri. *Boëtius.*

Neſcit ſemel incitata liberalitas ſtare, cujus pulchritudinem uſus ipſe incitat. *Plin,*

Res dicendo æquare arduum. *Idem.*

Invida fatorum ſeries. *Luc.*

Facta animoſa Viros & recti ſacra libido Attollunt. *Sil.*

Tanquam bona valetudo jucundior eſt ijs, qui è gravi morbo recreati ſunt, quā qui nunquam ægro corpore fuerunt: ſic omnia deſiderata magis, quàm aſsiduè percepta delectant. *Cic.*




Biblioteka Jagiellońska
stdr0013032

